

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0396

Sabato 30.06.2012

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE AL CENTENARIO DELLA NASCITA DEL BEATO PETER TOROT, PRIMO INDIGENO CATECHISTA E MARTIRE DELLA PAPUA NUOVA GUINEA (RABAU, 7 LUGLIO 2012)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE AL CENTENARIO DELLA NASCITA DEL BEATO PETER TOROT, PRIMO INDIGENO CATECHISTA E MARTIRE DELLA PAPUA NUOVA GUINEA (RABAU, 7 LUGLIO 2012)

In data 5 maggio 2012, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Joseph Ze-kiun Zen, S.D.B., Vescovo emerito di Hong Kong, Suo Inviato Speciale alla celebrazione del Centenario della nascita del Beato Peter ToRot, catechista e martire della Papua Nuova Guinea, in programma a Rabaul il 7 luglio 2012.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- S.E. Mons. Rochus Josef Tatamai, M.S.C., Vescovo di Bereina (il cui padre, deceduto recentemente, era nipote del Beato);
- Rev.do Don Francis Meli, sacerdote della diocesi di Rabaul e Vicario giudiziario del Tribunale arcidiocesano di prima istanza.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Joseph Ze-kiun Zen:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
IOSEPHO S.R.E. CARDINALI ZEN ZE-KIUN, S.D.B.
Episcopo emerito Sciamchiamensi

Ad familiam tuendam et fovendam, quae fundamentum est humanae societatis quaeque nostra aetate saepius variis in periculis versatur, varia placet et oportet incitare proposita. Hac ratione, sicut beatus Decessor Noster Ioannes Paulus II, et Nos libenter convenimus familiarum, iuvenum vel christifidelium ex toto mundo congressiones, eis animum facientes ad divina instituta fideliter servanda. Sed aliis quoque libenter utimur occasionibus ut vera bona humana et christiana ostendamus atque defendamus.

Laeto igitur animo novimus in Papua Nova Guinea centesimum annum celebrari ab ortu beati Petri ToRot,

catechistae et martyris, qui primus huius regionis est beatus et procul dubio potens novae evangelizationis fautor. Ipse autem maritus et paterfamilias vitam pro Christo dedit, quoniam polygiam reiecit et indissolubilitatem defendit matrimonio. Comparandus ideo videtur Praecursori Domini sancto Iohanni Baptistae, quem impius rex vinxit in carcere et capite damnavit, quia dicebat ei: "Non licet tibi habere uxorem fratris tui" (*Mc* 6,18). Persuasum ergo habemus beatum Petrum ToRot hodie maximi ponderis praebere testimonium, quod contra iniquas leges civiles Dei magis circa matrimonium parere oportet praecepto, nempe: "Itaque iam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet" (*Mt* 19,6).

Quamobrem libenter accepimus postulatum Venerabilis Fratris Francisci Panfilo, S.D.B., Archiepiscopi Metropolitanae Rabaulensis, qui humaniter poposcit ut Patrem Purpuratum mitteremus ad Personam Nostram gerendam die festo beati Petri ToRot, videlicet die VII mensis Iulii, in centenaria anniversaria memoria eius natalis. Ideo **Nostrum Missum Extraordinarium** hisce Litteris ad memoratam celebrationem te constituimus, Venerabilis Frater Noster, qui prudentia spirituque missionali emines.

Debita quidem laude cumulabis beatum Petrum, qui veluti flos fecundus huius terrae ante saeculum germinavit. Insuper Missionarios Sacri Cordis recordaberis, qui centum triginta ante annos illuc pervenerunt Evangelium praedicaturi, necnon Filias Mariae Immaculatae salutabis, centesimum annum a fundatione sua celebrantes. Inde liturgicis celebrationibus Nostro nomine praesidebis fidelesque ibi praesentes ardore apostolico hortaberis ad Christum rite sequendum. Fraternaliter Nostram salutationem transmittes etiam aliarum religionum a seclis cunctisque bonae voluntatis hominibus.

Nos precibus tuam sustinebimus magni ponderis missionem, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus intercessionibus Sacrae Familiae necnon beati Petri ToRot. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam imo ex corde tibi impertimus, Venerabilis Frater Noster, dilectis quoque Pastoribus et Christifidelibus illic congregatis cunctisque faustum hunc eventum participantibus amanter largiendam.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Iunii, anno MMXII, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

[00935-07.01] [Testo originale: Latino]
